

» te¹. » Lex dicit, Scriptura dicit, veritas dicit. Venturi sumus ad domum Dei, quæ est in coelis. Ibi non quinquaginta diebus Deum laudabimus : sed quemadmodum scriptum est, « In sæcula sæculorum. » Videbimus, amabimus, laudabimus. Nec quod videbimus deficiet, nec quod amabimus peribit, nec quod laudabimus tacebit : sempiternum totum erit, sine fine erit. Laudemus, laudemus ; sed non solis vocibus, laudemus et moribus : laudet lingua, laudet vita : sed habeat charitatem infinitam. **Conversi ad Dominum, etc.**

SERMO CCLV².

In diebus Paschalibus, XXVI.

De Alleluia.

I. QUONIAM voluit Dominus, ut Charitatem Vestram in Alleluia videremus³, de Alleluia vobis verbum debemus. Non sim oneri, si commemoro quod nostis : quia et ipsum Alleluia quotidie dicimus, et quotidie delectamur. Nostis enim quia Alleluia, Latine dicitur, Laudate Deum : et in hoc verbo consonantes ore et consentientes corde, exhortamur nos invicem ad laudandum Deum. Eum tantum homo securus laudat, qui non habet unde displiceat. Et in hoc quidem tempore peregrinationis nostræ ad solatium

¹ Psal. LXXXIII, 5. — ² Alias de Diversis I. — ³ Habuit ergo Sermone in loco peregrino, forte Carthagine anno 418, quo Synodus ibi contra Pelagianos Kalendis Maii celebrata est.

viatici dicimus Alleluia ; modo nobis Alleluia canticum est viatoris : tendimus autem per viam laboriosam ad quietam patriam, ubi retractis omnibus actionibus nostris, non remanebit nisi Alleluia.

II. Istam partem suavissimam sibi Maria elegerat, quæ vacabat, discebat, laudabat¹ ; Martha vero soror ejus, circa plurima fuerat occupata. Equidem agebat rem necessariam, sed non permansuram : agebat rem viæ, nondum patriæ : agebat rem peregrinationis, nondum possessionis. Susceperat enim Dominum, et eos qui cum illo erant. Et Dominus carnem habebat : et sicut pro nobis dignatus est carnem suscipere, ita dignatus est esurire et sitire. Et ex eo quod dignatus est esurire et sitire, dignatus est pasci ab eis quos ipse ditavit ; dignatus est suscipi, non inopia, sed gratia. Agebat ergo Martha quod pertinebat ad necessitatem esurientium et sitientium : parabat conversatione sollicita, quod manducaretur et biberetur a sanctis et ab ipso Sancto sanctorum in domo ejus. Magnum opus, sed transitorium. Numquid esurire et sitire semper erit ? Quando inhærebimus purissimæ illi et perfectissimæ bonitati, non erit quare servire necessitati. Beati erimus, nullo indigentes ; multum habentes, nihil quærentes. Et quid est quod habebimus, ut nihil quæramus ? Dixi : quod creditis, postea videbitis. Quod ergo diximus, multum habentes et nihil quærentes, id est, nullo indigentes ; quid est ipsum quod habebimus ? Servientibus sibi Deus, colentibus eum, credentibus in eum, sperantibus in eum, amantibus eum quid dabit ?

III. Videmus enim quanta det in hoc tempore diffidentibus de illo, desperantibus de illo, aversis ab illo, blasphemantibus illum, videmus quanta dona largiatur. Ab illo est enim primo sanitas : quæ sic dulcis est, ut in fas-

¹ Luc. x, 39.

tidium nunquam veniat. Quando hanc habet, quid deest pauperi? Quando istam non habet, quidquid habet quid prodest diviti? Ab illo est ergo, id est, a Domino Deo nostro quem colimus, a vero Deo in quem credimus, et in quo speramus, et quem diligimus; ab illo est tanta res, sanitas. Videte tamen, cum sit magna res sanitas, quomodo eam det et bonis et malis, et blasphematoribus suis et laudatoribus suis. Et quid dicam? Utrique homines sunt. Omni pecore melior est et malus homo. Dat sanitatem etiam jumentis et draconibus, usque ad muscas et vermiculos donat sanitatem; et salvat omnia qui creavit omnia. Ut ergo alia omittamus; quia nihil melius invenimus quam est sanitas: non solum eam dat Deus hominibus, sed et pecoribus, sicut dicit Psalmus: « Homines et » jumenta salvos facies, Domine, sicut multiplicata est misericordia tua, Deus¹. » Sic enim es, quia Deus es; ut bonitas tua non remaneat in summis, et deserat infima. Pervenit ab Angelis usque ad extrema et minuta animalia. Pervenit enim a fine usque in finem pertendens fortiter sapientia, et disponit omnia suaviter²: et in ipsa dispositione suavitatis ejus, suavis est omnibus sanitas.

IV. Cum ergo tantum bonum det et bonis et malis, et hominibus et jumentis, quid est, fratres mei, quod servat bonis? Jam enim dixerat: « Homines et jumenta salvos facies, Domine, sicut multiplicata est misericordia tua, » Deus. » Et deinde adjunxit: « Filii autem hominum. » Qui sunt isti? Quasi alii sunt homines, de quibus paulo ante dixerat: « Homines et jumenta salvos facies, Domine: et alii filii hominum. » Aliud enim sunt homines quam filii hominum, et aliud sunt filii hominum quam homines? Quid sibi ergo vult ista distinctio? Nisi forte quia homines pertinent ad hominem, filii hominum ad filium

¹ Psal. xxxv, 7, S. — ² Sap. viii, 1.

hominis: homines ad hominem, filii hominum ad filium hominis. Est enim quidam homo, qui non fuit filius hominis. Qui enim primus factus est, homo fuit, filius hominis non fuit. Quid ergo nobis venit per hominem, et quid nobis venit per filium hominis? Commemoro quod venit per hominem, et Apostoli verba dico: « Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum » mors: et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt¹. » Ecce quod nobis propinavit homo; ecce quod de parente bibimus, et vix digerimus. Si hoc per hominem, quid per filium hominis? « Proprio, inquit, Filio non pepercit. Si proprio Filio non pepercit, sed pro » nobis omnibus tradidit eum; quomodo non et cum illo » omnia nobis donabit²? » Item, « Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, sic » et per obedientiam unius hominis justii constituentur » multi³. » Per illum ergo peccatum, per Christum justitia. Omnes ergo peccatores ad hominem pertinent: omnes justii ad filium hominis. Quid ergo miramini, quia peccatores, quia impii, quia iniqui, quia Dei contemptores, a Deo aversi, sæculi dilectores, amplectentes iniquitatem, odio habentes veritatem, hoc est, homines pertinentes ad hominem; quid miramini, quia habent istam sanitatem, cum audiatis Psalmum: « Homines et jumenta salvos facies, » Domine⁴. » Ne extollerent se ipsi homines, quia habent temporalem sanitatem, addita sunt illis jumenta. Quid est ergo unde gaudes, homo? Nonne tibi cum asino tuo commune est, et cum gallina tua, cum quocumque animante in domo tua, cum istis passeribus? nonne tibi sanitas corporis cum his omnibus communis est?

V. Quære ergo quod promissum est filiis hominum, et

¹ Rom. v, 12. — ² Id. viii, 32. — ³ Id. v, 19. — ⁴ Psal. xxxv, 7.

audi quod sequitur : « Filii autem hominum sub tegmine » alarum tuarum sperabunt¹. » Interim sperabunt, quandiu in via sunt. « Filii autem hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt. Spe enim salvi facti sumus¹. » Hoc non pertinet ad homines et iumenta, sperare sub tegmine alarum Dei. Et ecce spes lactat nos, nutrit nos, confirmat nos, et in ista laboriosa vita consolatur nos, in ipsa spe cantamus Alleluia. Ecce spes quantum gaudium habet. Res ipsa quid erit? Quid erit quæris? Audi quod sequitur : « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ³ : » Hujus rei spes est. Sitimus, esurimus, opus est ut satiemur : sed in via fames, in patria satietyas. Quando satiabimur? « Satiabor cum manifestata fuerit gloria tua⁴. » Modo autem gloria Dei nostri, gloria Christi nostri latet : et cum illo abscondita est et nostra. « Sed cum Christus » apparuerit vita vestra, tunc et vos cum illo apparebitis » in gloria⁵. » Tunc erit Alleluia in re : modo autem in spe. Spes illam cantat, amor cantat modo, amor cantabit et tunc : sed modo cantat amor esuriens, tunc cantabit amor fruens. Quid est enim Alleluia, fratres mei? Dixi vobis, laus Dei est. Ecce modo verbum auditis, et in audiendo delectamini, et in delectatione laudatis. Si rorem sic amatis, fontem ipsum quomodo amabitis? Quod est enim stomacho ructanti ructatio, hoc est cordi saginato laudatio. Si enim laudamus quod credimus, quomodo laudabimus cum viderimus? Ecce quod sibi Maria elegerat : sed significabat vitam illam, nondum tenebat.

VI. Duæ sunt vitæ : una pertinens ad delectationem, altera pertinens ad necessitatem. Quæ ad necessitatem, laboriosa est : quæ ad delectationem, voluptuosa est. Sed

¹ Psal. xxxv, 8. — ² Rom. viii, 24. — ³ Psal. xxxv, 9. — ⁴ Id. xvi, 15. — ⁵ Colos. iii, 4.

intra intro, noli foris quærere delectationem : ne tumescas de illa, et per angustum intrare non possis. Ecce quomodo Maria Dominum videbat in carne, et Dominum audiebat per carnem, sicut audistis, cum Epistola ad Hebræos legeretur quasi per velum¹. Nullum erit velum, quando videbimus facie ad faciem. Maria ergo sedebat, hoc est, vacabat, et audiebat, et laudabat : Martha vero circa plurimum ministerium occupata erat. Et dicit ei Dominus : « Martha, Martha, circa multa es occupata : porro » unum est necessarium². » Unum verum : multa non erunt necessaria. Antequam perveniamus ad unum, multis indigemus. Unum nos extendat, ne multa distendant et abrumpant ab uno. Ipsum unum dixit apostolus Paulus, quia nondum perceperat. « Ego, inquit, non me arbitror » apprehendisse. Unum autem, quæ retro oblitus, in ea » quæ ante sunt extentus³. » Non distentus, sed extentus. Unum enim extendit, non distendit. Multa distendunt, unum extendit. Et quandiu extendit? Quandiu hic sumus. Cum venerimus, colligit, non extendit. « Unum » autem, quæ retro oblitus, in ea quæ ante sunt extentus, » secundum intentionem : » Ecce extentionem : nunquam distentionem. « Secundum intentionem sequor, ad pal- » mam supernæ vocationis Dei in Christo Jesu⁴. » Ordo verborum est : « Unum autem sequor. » Tunc ergo veniemus, et uno perfruemur : sed ipsum unum omnia nobis erit. Quid enim diximus, fratres, quando cœpi loqui? Quid est ipsum multum quod habebimus, quando non indigebimus? quid est multum quod habebimus? Hoc proposueram dicere : quid nobis dabit Deus, quod non dabit illis? « Tollatur impius, ne videat claritatem Dei⁵. » Ergo claritatem suam nobis dabit Deus, qua fruamur : unde

¹ Hebr. x, 20. — ² Luc. x, 41, 42. — ³ Philip. iii, 13. — ⁴ Ibid. 14. — ⁵ Isai. xxxvi, 10.

tolletur impius, ne videat claritatem Dei. Totum multum nostrum quod habebimus, ipse Deus erit. Avare, quid quærebas accipere? Quid quærit a Deo, cui non sufficit Deus?

VII. Sed quando dicitur, quia Deum habebimus, et ipso solo contenti erimus, imo ipso solo sic delectabimur, ut nihil aliud requiramus; quia et in uno ipso fruemur, et in nobis invicem ipso fruemur: (Quid enim sumus, si Deum non habemus? aut quid aliud in nobis quam Deum debemus diligere, aut quia habemus, aut ut habeamus?) quando ergo dicitur quia cætera subtrahuntur, et solus Deus erit quo delectemur; quasi angustatur anima, quæ consuevit multis delectari; et dicit sibi anima carnalis, carni addicta, carnalibus cupiditatibus implicata, visco malarum cupiditatum involutas pennas habens, ne volet ad Deum, dicit sibi: Quid mihi erit, ubi non manducabo, ubi non bibam, ubi cum uxore mea non dormiam, quale mihi gaudium erit? Hoc gaudium tuum de ægrotudine est; non de sanitate. Certe ipsa caro tua in hoc tempore aliquando ægrotat, aliquando sana est. Intendite, ut aliquid dicam, unde capiatis, exemplum rei quam non possum dicere. Sunt quædam ægrotantium desideria: ardent desiderio aut alicujus fontis, aut alicujus pomi; et sic ardent, ut existiment quia si sani fuerint, frui debeant ipsis desideriis suis. Venit sanitas, et perit cupiditas. Quod desiderabat, fastidit: quia hoc in illo febris quærebat. Et qualis est ista sanitas, in qua convalescit ægrotus? Sanitas ista qua dicimur sani, quid est? Sed tamen hinc capite exemplum. Quia cum multa sint ægrotantium desideria, quæ ista sanitas tollit; quomodo illa tollit ista sanitas, sic omnia tollit immortalitas: quia sanitas nostra immortalitas est. Recolite Apostolum, et

videte quid erit: « Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem¹. Et erimus æquales Angelis Dei². » Numquid illi miseri sunt, qui non epulantur? Nonne ideo beatiore, quia istis non indigent? An vero quilibet dives æquabitur Angelis? Angeli vere divites sunt. Quid dicuntur divitiæ? Facultates. Angeli habent magnas facultates qui habent magnas facultates. Audis cum laudatur dives: Quantum magnus est, dominus est, dives est, potens est. Quantum magnum, ut eat quo vult, jumenta adsunt, sumptus adsunt, servi adsunt, ministeria adsunt. Omnia ista habet dives: quo vult it, laborem non patitur. Angelus ubi voluerit, ibi erit: nec dicit: Junge; nec dicit: Sterne; quod cum superbia dicunt divites, et tumescere inde volunt, quia habent quibus dicant: Junge et sterne. Infelix, verba ista sunt infirmitatis, non facultatis. Non ergo indigebimus: et ideo beati erimus. Pleni enim erimus, sed Deo nostro: et omnia quæ hic pro magno desideramus, ipse nobis erit. Pro magno cibum hic quæris: Deus tibi cibus erit. Amplexum carnis hic quæris: « Mihi » autem adhærere Deo, bonum est³. » Divitias hic quæris: quomodo tibi deerunt omnia, quando illum habebis qui fecit omnia? Et ut verbis Apostoli te faciam securum, de illa vita hoc dixit: « Ut sit Deus omnia in omnibus⁴. »

¹ 1 Cor. xv, 55. — ² Matth. xxii, 30. — ³ Psal. lxxii, 28. — ⁴ 1 Cor. xv, 28.

SERMO CCLVI¹.*In diebus Paschalibus, XXVII.*

De Alleluia.

I. QUONIAM placuit Domino Deo nostro, ut hic constituti præsencia corporali, etiam cum Vestra Charitate illi cantaremus Alleluia, quod latine interpretatur, Laudate Dominum; laudemus Dominum, fratres, vita et lingua, corde et ore, vocibus et moribus. Sic enim sibi dici vult Deus Alleluia, ut non sit in laudante discordia. Concordent ergo prius in nobis ipsis lingua cum vita, os cum conscientia. Concordent, inquam, voces cum moribus: ne forte bonæ voces testimonium dicant contra malos mores. O felix Alleluia in cœlo, ubi templum Dei Angeli sunt! Ibi enim concordia summa laudantium, ubi est exultatio segura cantantium: ubi nulla lex in membris repugnat legi mentis; ubi non est rixa cupiditatis, in qua periclitetur victoria charitatis. Hic ergo cantemus Alleluia adhuc solliciti, ut illic possimus aliquando cantare securi. Quare hic solliciti? Non vis ut sim sollicitus, quando lego: « Numquid » non tentatio est vita humana super terram²? » Non vis ut sim sollicitus, quando mihi adhuc dicitur: « Vigilate » et orate, ne intretis in tentationem³? » Non vis ut sim sollicitus, ubi sic abundat tentatio, ut nobis ipsa præscribat oratio, quando dicimus: « Dimitte nobis debita nostra,

¹ Alias ex Sirmondianis 18. — ² Job. vii, 1. — ³ Marc. xiv, 38.

» sicut et nos dimittimus debitoribus nostris¹? » Quotidie petitores, quotidie debitores. Vis ut sim securus, ubi quotidie peto indulgentiam pro peccatis, adiutorium pro periculis? Cum enim dixerō propter præterita peccata: « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus » debitoribus nostris: » continuo propter futura pericula addo et adjungo: « Ne nos inferas in tentationem. » Quomodo est autem populus in bono, quando mecum clamat: « Libera nos a malo? » Et tamen, fratres, in isto adhuc malo cantemus, Alleluia Deo bono, qui nos liberat a malo. Quid circum inspicis unde te liberet, quando te liberat a malo? Noli longe ire, noli aciem mentis circumquaque distendere. Ad te redi, te respice. Tu es adhuc malus. Quando ergo Deus te ipsum liberat a te ipso, tunc te liberat a malo. Apostolum audi; et ibi intellige a quo malo sis liberandus. « Condelector, inquit, » legi Dei secundum interiorem hominem; video autem » aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis » meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est. » Ubi? « Captivantem, inquit, me in lege peccati, quæ est » in membris meis². » Putavi quia captivavit te sub nescio quibus ignotis barbaris: putavi quia captivavit te sub nescio quibus gentibus alienis, vel sub nescio quibus hominibus dominis. « Quæ est, inquit, in membris meis. » Exclama ergo cum illo: « Miser ego homo, quis me liberabit? » Unde quis liberabit? Dic unde. Alius dicit ab Optione, alius de carcere, alius de barbarorum captivitate, alius de febre atque languore: dic tu, Apostole, non quo mittamur, aut quo ducamur; sed quid nobiscum portemus, quid nos ipsi simus, dic: « De corpore » mortis hujus? De corpore, inquit, mortis hujus³. »

II. Alius dicit: Corpus mortis hujus non ad me perti-

¹ Matth. vi, 12. — ² Rom. vii, 22, 23. — ³ Ibid. 24.

net : carcer meus est ad tempus, catena mea est ad tempus : in corpore mortis sum ego ; non corpus mortis sum ego. Argumentaris, ideo non liberaris. Ego enim, inquit, spiritus sum ; caro non sum, sed in carne sum : cum fuero liberatus a carne, quid erit mihi deinde cum carne ? Huic argumentationi vultis, fratres, ut ego respondeam, an Apostolus ? Si ego respondero, contemnetur fortassis magnitudo verbi propter vilitatem ministri. Taceo potius. Audi mecum Doctorem gentium : audi mecum Vas electionis, ut a te tollatur controversia dissensionis. Audi, sed dic prius quod dicebas. Nempe hoc dicebas : Non sum ego caro, sed spiritus sum. In carcere meo gemo : quando fuerit hoc vinculum et hoc ergastulum dissolutum, ego liber abscedo. Terra terræ redditur, spiritus cœlo recipitur : vado ego, dimitto quod non sum. Ergo hoc dicebas ? Hoc, inquit. Non tibi ego respondeo : responde, Apostole, responde, obsecro te. Prædicasti, ut audireris ; scripsisti, ut legereris ; totum factum est, ut credereris. Dic, « Quis me liberabit de » corpore mortis hujus ? Gratia Dei per Jesum Christum » Dominum nostrum². » Unde te liberat ? « De corpore » mortis hujus. » Sed non es tu ipse corpus mortis hujus ? Respondet : « Igitur ipse ego mente servio legi Dei, carne » autem legi peccati¹. » Sed « ipse ego : » quomodo per diversa ipse tu ? Mente, inquit, quia diligo : carne, quia concupisco : victor quidem, si non consentio adhuc tamen luctator, urgente adversario. Et quomodo cum fueris, o Apostole, ab hac carne liberatus, jam non eris tu nisi spiritus ? Respondet Apostolus, morte jam imminente, debito quod nemo evadit : Carnem non in æternum pono, sed ad tempus sepono. Ergo rediturus es ad corpus mortis hujus ? Et quid ? Ipsius verba potius audiamus. Quomodo

¹ Rom, vii, 25. — ² Ibid.

redis ad corpus, unde tam pia voce liberandum te esse clamasti ? Respondet : Redeo quidem ad corpus, sed jam non mortis hujus. Audi, imperite, contra quotidianas lectionum voces surde : audi quomodo redit ad corpus quidem, sed non mortis hujus. Non quia aliud erit corpus, sed quia « Oportet corruptibile hoc induere incorruptio- » nem, et mortale hoc induere immortalitatem. » Fratres mei, quando dicebat Apostolus corruptibile hoc, mortale hoc, quodam modo carnem sua voce tangebatur. Non ergo aliud. Non, inquit, pono corpus terrenum, et accipio corpus aëreum, aut accipio corpus æthereum. Ipsum accipio, sed non jam mortis hujus. « Quia oportet cor- » ruptibile, » non aliud, sed « hoc, induere incorruptio- » nem ; et mortale, » non aliud, sed « hoc, induere im- » mortalitatem. Tunc fiet sermo qui scriptus est : Absorpta » est mors in victoriam. » Cantetur Alleluia. « Tunc » fiet sermo qui scriptus est : » qui sermo, non jam pugnantium, sed triumphantium : « Absorpta est mors in vic- » toriam. » Cantetur Alleluia. « Ubi est, mors, aculeus » tuus ? » Cantetur Alleluia. « Aculeus autem mortis est » peccatum¹. Sed quæres locum ejus, et non invenies². »

III. Sed etiam hic inter pericula, inter tentationes, et ab aliis, et a nobis cantetur Alleluia. « Fidelis enim Deus, » qui non permittat, inquit, vos tentari super id quod » potestis. » Ergo et hic cantemus Alleluia. Adhuc est homo reus, sed fidelis est Deus. Non ait : « Non permittat » vos tentari ; sed, non permittat vos tentari super id » quod potestis ; sed faciat cum tentatione etiam exitum, » ut possitis sustinere³. » Intrasti in tentationem : sed faciet Deus etiam exitum, ne pereas in tentatione : ut quomodo vas figuli, formeris prædicatione, coquaris tribulatione. Sed quando intras, exitum cogita : quia

¹ 1 Cor. xv, 43-56. — ² Psal. xxxvi, 10. — ³ 1 Cor. x, 13.

fidelis est Deus, « Custodiet Dominus introitum tuum, » et exitum tuum¹. » Porro autem, cum factum fuerit corpus hoc immortale et incorruptibile, quando perierit tota tentatio; quia « Corpus quidem mortuum est: » quare mortuum est? « Propter peccatum. Spiritus autem vita » est, » Apostoli verba sunt: quare? « Propter justitiam. » Remittimus ergo mortuum corpus? Non, sed audi: « Si » autem spiritus ejus, qui suscitavit Christum a mortuis, » habitat in vobis; qui suscitavit Christum a mortuis, vi- » vificabit et mortalia corpōra vestra². » Modo enim corpus animale, tunc spiritale. « Factus est enim primus » homo in animam viventem, novissimus homo in spi- » ritum vivificantem. Ideo vivificabit et mortalia cor- » pora vestra propter inhabitantem Spiritum ejus in vo- » bis³. » O felix illic Alleluia! o segura! o sine adversario! ubi nemo erit inimicus, nemo perit amicus. Ibi laudes Deo, et hic laudes Deo: sed hic a sollicitis, ibi a securis; hic a morituris, ibi a semper victuris; hic in spe, ibi in re; hic in via, illic in patria. Modo ergo, fratres mei, cantemus, non ad delectationem quietis, sed ad solatium laboris. Quomodo solent cantare viatores; canta, sed ambula: laborem consolare cantando, pigritiam noli amare: canta, et ambula. Quid est, ambula? Profice, in bono profice. Sunt enim, secundum Apostolum, quidam proficientes in pejus⁴. Tu si proficis, ambulas: sed in bono profice, in recta fide profice, in bonis moribus profice: canta, et ambula. Noli errare, noli redire, noli remanere. Conversi ad Dominum, etc.

¹ Psal. cxx, 8. — ² Rom. viii, 10, 11. — ³ 1 Cor. xv, 45. — ⁴ 2 Tim. iii, 13.

SERMO CCLVII.

In diebus Paschalibus, XXVIII.

De versu Psalmi cxv: *Omnis homo mendax.*

Prodit nunc primum ex veteri libro Floriacensi ante annos circiter 800 descripto.

I. Quon hebraïca lingua dicitur Alleluia, latine est, Laudate Dominum. Laudemus ergo Dominum Deum nostrum, non tantum voce, sed etiam corde. Quoniam qui corde laudat, interioris hominis voce laudat. Vox ad homines, sonus est; vox ad Deum, affectus est.

II. Dixit quidam in extasi sua, sicut legistis; sicut audistis: « Omnis homo mendax¹. » Inde fuit, qui non credebatur, nisi tetigisset corpus Domini². Mendacium ei videbatur, quod condiscipuli ejus verum loquebantur: et parum illi erat veritatem audire, volebat et tangere. Exhibuit autem illi hoc Dominus in his quæ sequuntur in Evangelio postea recitanda. Quicumque autem audit: « Omnis homo » mendax, » non se debet figere in mendacio, et nolle inde surgere, tanquam ratiocinari apud se rationem inaniter, tanquam homo mendax, et dicere sibi: Quando non ero homo? Si autem quandiu hic sum homo, ero mendax, melius ego mendax ero, quam mentiatur Scriptura quæ

¹ Psal. cxv, 11. — ² Joan. xx, 25.